

Johann Nicolaus Quistorp

**Programma. Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Nicolaus
Quistorpius, S.S. Theol. Doct. P.P. & Past. Nicol. ... Johannis Friderici
Steinhagen/ Sonnenburgo-Marchici, Philosophiae, atq[ue] SS. Theologiae
Studiosi Funus Solenniter Indicit, & ad eundum Eiusdem exequias Omnes
Omnium Ordinum Cives Academicos ... Invitat : [P.P. Sub Sigillo Rectoratus 2.
Aprilis A. M.DCXCIV.]**

Rostochii: Wepplingius, [1694]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774671874>


Druck Freier  Zugang




Quistorp, J. N.

in J. F. Steinhagen.

Rostock 1694.





PROGRAMMA.
QVO
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOHANNES NICO-
LAUS QVISTORPIUS,
S.S. Theol. Doct. P. P. & Past. Nicol.
VIRI - JUVENIS
PRÆSTANTISSIMI AC CLARE DOCTI
DN. JOHANNIS
FRIDERICI Steinhagen/
SONNENBURGO - MARCHICI,
Philosophiaæ, atq; SS. Theologiæ Studiosi
FUNUS
Solemniter Indicit,
ad eundum Ejusdem exeqvias
Omnium Ordinum Cives Academicos
officiore, & peramanter
Invitat.



Rostochii Typis JOH. W. EPPLINGII, Univers. Typogr.

AUGUSTINUS.

OMnia qvæ videntur qvasi pere-
undo humanis Oculis subtrahi;
salva & integra sunt omnipotentia
DEI,



Ortalem mori adeo
familiare, quotidianum, ac
commune est, ut hominum
obitus citra procēdium com-
memorare conveniat. Ac
ne juvenum qvidem mortes
admirabile qvidpiam, aut in-
solutum continent, quando-
qvidem anno exacto, rationes
cum Libitinā putanti, plures

ineunte, crecente, vigente, qvām grandi & decre-
pitā ætate vivendi finem fecisse, nunquam non depre-
hendentur. Qvæcunqve in rerum naturâ, à Naturâ
& non ab arte producta extant *naturalia* corpora, qua-
tuor qvæsi gradibus perfectionis differre scimus; ita
ut alia tantum sint, alia sint & vivant, alia sint vivant &
sentiant, alia sint, vivant, sentiant & intelligent, ut pri-
mum genus compleant Cœlum, astra, meteora, Elemen-
ta, & in terræ visceribus nata inanima mineralia, Me-
talla, gemmæ; secundæ classis sint, vegetantis ani-
mæ beneficio florentes plantæ, frutices, arbores: in
tertio ordine collocentur bruta qvævis animalia; ade-
oqve qvarta & summa perfectio sit hominis, qvem
ideo admirandum, & Venerandum animal, parvum
mundum, totius mundi epitomen, Universi Exem-
plar, & omnium rerum mensuram veteres dixerunt
Philosophi. Idem qvām brevis & fugacis ævi, qvam
vicinum semper interitui sit humanum genus, indi-
gitare voluerunt, & ad oculum, qvod dicitur demon-
strare.: Cum vel ipsum hominem, vel hominis vi-
tam, Bullis compararunt, non illis, qvas à plebe di-
stincti Romani *Patritii* in pectore gestabant aureas. De
quibus

qvibus Rosinus Antiquit: Roman. Lib.V. Cap. XXXII.
de Togâ, & ejus multiplici differentia ex Macrobius li-
bro Saturnaliorum primo c. VI. indicat: Tarquinium
Demarati exulis Corinthii filium, Priscum, qvuni de
Sabinis Triumphum ageret, filium suum, annos qua-
tuordecim natum, qvòd hostem in eō bello manu per-
cussisset, & pro concione laudasse, & bullâ aureâ,
prætextâque donasse, eumque adhuc puerum ultra
annos fortem præmiis virilitatis & honoris insigni-
visse.. Inde deductum morem, ut prætexta, & bullâ
in ulum puerorum nobilium usurparentur, ad omen,
& vota conciliandæ virtatis ei similis, cur primis in
annis munera ista cessissent. Subjicit laudatus Rosi-
nus, & alias aliorum sententias, videlicet Tarquinium
Priscum, cum ingenuorum puerorum cultum inter
præcipua duceret, instituisse, ut Patrici bullâ aureâ
cum togâ, cui purpura prætexitur, uterentur, illi sci-
licet, qvorum Patres Curulem gessissent Magistratum.
Aut qvod rerum antiquarum peritissimi tradunt, Ro-
mulum cum ad consolandum raptas sposondisset, se
ejus infanti, qvæ prima sibi Civem Romanum esset
enixa, illustre munus daturum. Hostium Hostilium
Heryliæ filium, qvod ea prima ex omnibus Sabinis
mulieribus raptis partum edidisset, bullâ aureâ ac
prætexta insignibus honorasse: Dictam bullam ex-
actâ pueritiâ solenni festo Laribus suspendebant. Ad
qvorum similitudinem olim Patres nostri corculum
suis appendenterunt infantulis, vel in indicium, alieno
qvod corde & consilio indigeant, vel in votum, ut
cordati evadant. Sed illis Luciani, qvarum aliæ simul
atque natæ sunt protinus in auras redeunt, & eva-
nescunt, aliæ paulo diutius durant, anteqvam fati-
scant

scant & crepent, omnes brevi exspirant tempore, exiguis intervallis ad spumantis aquæ agitationem sibi invicem succedentes, unde illud Diogenis percrebuit in eos, qui ex Olympicis reportata corona jactantiori lascivirent gaudio bullas nactos esse, & quod in proverbium abiit πεμφόλυζ ἡ Αὐθωπος. Homo Bulla. Cum floribus æqvipararunt, unde Poeta quidam nescio quis:

Congverimus naturæ Parens quod gratia florum

*Tam brevis, ut cum se vix stitit, intereat,
Quam longa una dies, etas tam longa rosarum.
Et pubescentes prona senecta premit.*

*Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens Jerô vespere cernit anum.*

Cum caducis arborum foliis, quæ cum prono mutentur in annos, modo citius, modo tardius uno atque altero mense collabuntur Universa, unde Homeri illud simile, quod Pyrrhonem Academicum peculiariter delectatum scribit Diogenes Laertius.

Οὐπέρ φύλαν γέρεν τίνει τὸ καὶ αὐτοφῶν,
Φύλα τὰ μέν τὸν χαμάδις χέει ἀλλὰ δέθ' ὄλη
Τηλεφώνει φύει, εἰσερχόμενος δὲ προγύνεται ὕρη.

Cum volubili Rotæ, Lucernæ vento expositæ, item que umbræ fumo, & somnio umbræ.

*Rota sicut curulis
Properat volucris etas
Tenuis jacebimusque
Cinis ossibus solutis*

*Solvimur ut nebulæ surgens ut in aëra fumes.
Et nostri fugiunt, ut levis aura dies.*

Hanc generi nostro inevitabilem fortè subiit haud ita pridem DN. JOHANN-FRIDERICH Stein-
hagen/

hagen / Sonnenburgō Marebicus; Juvenis genere, do-
ctrinā, virtute eximius, Studiosus Theologiæ inde-
fessus. Prognatus is est Parentibus honestissimis. Pa-
tre quidem Amplissimo & Prudentissimo Viro DNO
JOHANNE Steinhagen / Potentiss. Elect. Branden-
burg. Aulæ Judice, ac Senatore Civitatis Zillen-
zenſ. Matre Le&tissimā Matronā ELISABETHA Lin-
derin. Hāc stirpe Anno seculi hujus LXVIII. 16. Fe-
bruarii cum esset editus; Providis Parentibus id cor-
di fuit, ut originem suam redolens indoles optimis
literis, & moribus qvām maturimè, & rectissimè eru-
diretur. Et vero tam feliciter processit pueritiæ illa,
ac adolescentiæ ad recta studia informatio, ut *Decimo o-*
ctavo ætatis suæ anno in *Academiam Viadrinam*, velut ad
überiorem qvendam liberalis Doctrinæ mercatum mit-
teretur. Ibiq; omni animo, atq; opere in hoc incubuit
ut cūm literarum humaniorum, tūm philosophiæ aut
firmaret, aut jaceret ea fundamenta, qvibus ad sum-
ma tendens niti posset. Et verò ingenii præstantis
felicitate, & acerrimis illo dōcendi ardore, tum qvâ-
dam Virili in opere urgendo constantiā, intra exiguum
temporis spatium, eō est proiectus, ut veluti
planta generosior, uberrimum protinus fructum o-
stenderet. Præterlapsō anno, *Lipſiam*, illinc *Witteber-*
gam concessit, qvas Academias Doctrinā sibi profu-
tras, & Exemplis Theologorum judicabat. His
igitur locorum, in qvibus commoratus est, & Viro-
rum qvos audivit, & vidiit, occasionibus ad suum e-
molumentum commodè cum usus esset, putavit fore,
ut ei non parūm accederet, si terras etiam remotiores
inviseret, vultus, moresqve peregriniores contempla-
retur, ut ex iis fructus exoticos domum referret. Hoc
consilio

consilio in Silesiam, mox in Daniam Profectus est. Tandem
Mense Augusto, superioris anni XCIII. in nostram Aca-
demiam venit. Cum vero sumptus ad studiorum te-
lām pertexendam non suppeterent, illiqve Religio
eslet parentes gravare, occasionem eosdem, aliis inser-
viendo, sublevandi qvæsivit, Generos. Proli de Lühen eru-
diendæ mox præfectus est, cui muneri laudabiliter præ-
fuit. Ociū & luxum tanquam duas Adolescentiæ pestes
omni animo aversatus est, testibus illis, qui piè defunctū
penitus neverunt, industriâ autem, labore, ac vigiliis,
omniqve officio talem se gessit, ut ultra majorum
gloriam ad proprium qvoddam decus adspirare, ac
eniti haut obscurè præ se ferret. Et vero hōc, qvem
instituerat, cursu pari animo progressus, & Famili-
am & Patriam suam ornare aliquando potuisset insi-
gniter, ni illum vitæ ac Mortis arbiter Deus in ipso
ætatis flore, ac dum opus maximè servet. ad vitæ exi-
tum evocasset; Enimvero ad V. Februarii currentis anni
Mensis diem vehemens illum horror invasit, qvem inse-
cuta sunt ardor continuus, dolor capitis, languor
omnium membrorum, sitis ingens, noctes insomnes.
Ad exitum vitæ se vocari sentiens parato animo ad de-
cretoriam illam horam se cœpit comparare, exposcit
cœlestem potionem sibi dari. Præbuit illam post re-
ligiosam peccatorum confessionem auditam *Divino-*
Mysteriorum Dispensator, & egressuram è
corporis vinculis animam hoc extremi itineris vi-
atico munivit. XII. tandem morbi dies, qui erat
XVI. Mensis dicti fatalis illi fuit, qvôpost divini
Nominis religiosam adorationem, & pium cum ad-
stantibus colloquium beatam animam cœlo unde ac-
ceperat reddidit, cum yxisset Annos exacte XXIII.


Sum-

Sumam vitæ hujus bonam, beatamq;
mortē maturè conlequi, nequit à sapi-
ente in malis haberi. Cum quicq; vid in
hoc ævo est futuri in qvod spes nostra,
sonnia illa vigilantiū , præmittuntur,
incertum omne sit, & fallax & lubri-
cum, & tot aduersis casibus expositum.

Gratulamur itaq; optimo juveni portum vitæ, receptum
tutissimum maturimè ingresso. Parentum vero do-
lorem, ut pietas vincat, & beatæ resurrectionis, æter-
nitatisq; sancta fides elidat, ex animo vovemus.
Gaudent potius tam præstantem Filium educasse,
& per hunc, dum vivi in terris agunt, sui qvādam
jam portione Cœlum possidere. Qvumq; e
hodie corpus, qvod animæ nunc in
Cœlis agentis domicilium fuit, terræ
mandari debeat, omnes Academiæ
nostræ Cives Docentes Excellentissi-
mos, Discentes fulgidissimos, ut ad ho-
ram primam hodiernam in templo
Mariano freqventes conveniant, &
justa manibus debita perlolvant, eâ
qua fas est humanitate, contendeo.

DEUS NOS OMNES PARITER ET RE-
CTE VIVERE, ET BEATE
MORI DOCEAT.

P.P.Snb. Sigillo Rectoratus 2. Aprilis A.M. DCXCIV.



scant & crepent, omnes brevi exspirant
guis intervallis ad spumantis aquæ aq[ue] invicem succedentes, unde illud Diogenes in eos, qui ex Olympicis reportatâ cor lafcivirent gaudio bullas nactos esse, & cibium abiit πομφόλυζ Ἀνθρωπος. Hoc floribus æqvipararunt, unde Poeta qui

Conquerimur naturæ Parens quod gr

Tam brevis, ut cum se vix fitit.

Quam longa una dies, etas tam longa

Et pubescentes prona senecta premunt

Quam modo nascentem rutilus con-

Hanc rediens ferò vespere cernit

Cum caducis arborum foliis, qvæ cu-

tentur in annos, modo citius, modo

que altero mense collabuntur Universi-

illud simile, qvô Pyrrhonem Academicum

lectatum scribit Diogenes Laertius.

Οὐπηρε φύλλων γένει πίη ἐ καὶ ἀνδρῶν

φύλλα τὰ μέν ἀνεμοχαμάδις χέει

τηλεστίαις φύει, εἰσεθεὶς δὲ οὐτιγίγνεται

Cum volubili Rotæ, Lucernæ vento
que umbræ fumo, & somnio umbræ.

Rota sicut curulis

Properat volucris etas


Tenuis jacebimusq;

Cinis ossibus solutis

Solvimur ut nebulæ surgens ut

Et nostri fugiant, ut levis a

Hanc generi nostro inevitabilem fortitudo
ita pridem DN. JOHANN. FRIDE



exi-
fibi
buit
iori
ver-
cum
ivis-
mu-
at-
meri-
rde-
em-
nus.
naud
tenu-
jen/
011
Patch Reference Numbers on UTT
Image Engineering Scan Reference Chart
T725 Serial No. 011